



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Ad Rationem I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

DE PACE PERPETVA  
RESPONSUM AD RATIONEM

## I.

*Pacem ejusmodi non cooperari hæresi vel directe  
vel indirecte.*

## AD §. I.

**E**sto *cooperatio indirecta*, qva malum, qvòd potes & debes impedire, non impedis. Nego pace perpetua inita cooperaturos Catholicos hæresi: qvia moraliter impossibile est, ut hæresin Catholici Status impediunt vel nunc vel aliquando post; qvòd tamen ponitur tanquam possibile *n. 1.* & *II.* Impossibilitatem demonstravimus hypothesi XII & XIII. Qvi secus sentiunt, sibi somnia fingunt. Batavos debellari posse, fuit antehac & Hispanis persuasum: nunc mutarunt hi sententiam summo suæ reipubl. bono, nisi qvòd remedium justo fortasse tardius sit. Non magis itaqve cooperabuntur indirecte hæresi Catholici Status pacem perpetuam dando, quam id jam facturus est Rex Hispaniæ.

## AD §. II.

Sit *directe cooperari*: agere qvæ svapte natura ad peccatum ordinantur, vel esse partem aut socium peccati sive actionis criminosa. Subsumo autem: Atqvi per pacem nemo Catholicus tenetur agere qvòd svapte natura ad hæresin ordinatur, multo minus socium sese hæreseos præbere: Ergo. Probo Minorem: Qvia nemo Catholicus vi illius pa-

cis

PROTESTANTIBUS DANDA.

43

cis obligatur vel laudare hæreticam doctrinam, vel eam docere, vel ad eam quemquam ullo modo invitare; sed liberum ipsi permittitur damnare hæreticam doctrinam, hæreticos excommunicare, & gehenna dignos judicare, eorum scripta confutare, & quidem libris missis per omnes hæreticorum terras. Intelligitur hinc vanitas, quæ pro directâ cooperatione adducuntur, ratiuncularum.

*Ad I dico*; duplici (ut ita loquar) infamia laborant Hæretici: altera apud Deum & Ecclesiam, idque jure divino: altera apud civitatem per leges quasdam humanas & potissimum quidem Pontificias. Vi pacis liberantur à posteriore, non autem à priorè. Posterior vero infamia licet tollatur, modò maneat prior quæ maxima est, satis averfa manet mens vere Catholicorum ab Hæreticis, neque quisquam pius illis accedet ob sublatam infamiam civilem. Et vero observandum, talem infamiæ circa religionem aberrantium civilem poenam coepisse non ab initio Ecclesiæ, sed illa jam adulta, & quidem postquam diu jam fuisset sub religiosissimis Principibus, quibus sero tandem Pontifices consenserunt, legum ipsarum rigore aucto: nec Deum Opt. Max. infamia civili notasse in suæ reip. legibus gentiles. Quis dixerit autem, hoc ipso directe Deum ipsum Paganismo, & primos Christianos Cæsares hæresibus cooperatos? Certe nusquam id legas in

scriptis Sanctorum Patrum aureæ Ecclesiæ.

*Ad II:* Vi Pacis Hæretico Principi non svadetur, multo minus mandatur, mutatio religionis, sed tantum datur impunitas id agendi; atqve idcirca non iustum declaratur vi Pacis tale opus, nisi admodum improprie id dicas iustum quod licet impune. Quæ de re jam dictum hypothesi x. Porro etsi impune alicubi liceat Principi Hæretico interdicerere publicis templis illis quibus jam ante annum vicesimum quartum caruerunt Catholicos, eosq; tandem in exilium mittere, nihil tamen hoc per se lædit fidem Catholicam; quoniam ereptis templis fides ipsa Catholica perstat integra, nec exilium quorundam fidem Catholicam ipsam malo sed bono potius afficit. Certe prisca Ecclesiæ carceres, exilia, supplicia, non numeravit inter ea quæ fidem tollerent. In Batavis & Anglis sine publicis templis conservari Ecclesiam Catholicam, imo crescere, certum est.

*Ad III:* Sane vilegis datur Protestantibus impunitas retinendi bona per spoliū erepta post Transactionem Passaviensem: Sed quid facit illa impunitas directe & per se ad hæresin? Debuisset hoc Auctor clare docere, ne videatur glaucoma objicere imperitorum oculis. Si bonorum illorum possessio per se & directe non conservat fidem Catholicam, (uti non conservat,) consequens est, nec eorum amissionem directe Fidei Catholicæ nocere.

*Ad*

PROTESTANTIBUS DANDA.

45

*Ad IV*: Multo minus apparet, quid directe faciat ad hæresin tutela ejus publica à vi; nisi fortè directe etiam omni vitio cooperetur is qui non occidit quemvis peccatorem. Quod absurdissimum dictu est. Vero scilicet verius est, id quod sibi paulo post Auctor objicit: *omnem quoque tolerantiam licitam ponere tutelam publicam.*

*Compellere subditos ad hæresin, vel emigrationem ex patria &c.* esse actiones malas, certum est: neque pax exigit ut illas bonas pronunciet quisquam Catholicorum, sed licet illas ore & calamo, publice & privatim, improbare. Per pacem ergo *hisce actionibus defensionem, patrocinium, & auxilium promitti*, simpliciter dicere, calumniosum est. Neque enim defensio, patrocinium, vel auxilium, vi Pacis Protestantibus debetur, nisi tantum adversus illos, qui ipsis nolunt impune hoc permittere in Imperio, propria quâdam auctoritate. Satis sc. tuta est Fides spiritualibus armis; & hæresis non aliis feliciter impugnatur.

RESPONSUM AD RATIONEM

H.

*Pacem ejusmodi non inferre injuriam Creatori  
& vera religioni.*

**D**uplici argumento heic utitur Auctor: prius cum priora Ratione idem est, non indiget ergo nova confutatione.

F 3

Ad